

SCRIPTA

Numéro Scripta : 4160

Auteur(s) : Louis IX, France (roi)

Bénéficiaire(s) : Pont-de-l'Arche, Notre-Dame de Bonport (abbaye)

Genre d'acte : charte

Authenticité : non suspect

Datation : 1247, février

Lieu d'émission : Vincennes

Action juridique : donation

Langue du texte : latin

Analyse

Louis [IX], roi de France, donne aux moines de Bonport 100 acres dans la forêt de Bort et des redevances du moulin de Pont-de-l'Arche.

Tableau de la tradition

Éditions principales

a. Delisle Léopold, *Cartulaire normand de Philippe-Auguste, Louis VIII, Saint-Louis et Philippe le Hardi*, Caen, Hardel (MSAN ; 16, 2e série, 6, p. 160-390), 1852, n° 463, p. 77 et p. 322.

b. Andrieux Jules, *Cartulaire de l'abbaye royale de Notre-Dame de Bon-Port de l'ordre de Cîteaux au diocèse d'Évreux*, Évreux, Hérissey, 1862, n° CLVI, p. 159-161.

Texte établi d'après a

Ludovicus, Dei gratia, Francorum rex. Notum facimus universis, presentibus pariter et futuris, quod nos viris religiosis abbatii et conventui Boniportus, Cisterciensis ordinis, pro restauratione dampnorum que sustinebant, ut dicebant, pro terris traditis ad culturam in forestis nostris de Borz et de Aquosis, dedimus et concessimus centum acras terre sitas in dicta foresta de Borz juxta terras dictorum religiosorum, quas habent in eadem foresta de dono Ricardi quondam regis Anglie. Dedimus etiam eisdem sex modios et quinque sextaria et unam minam bladi, videlicet duas partes de ybernagio in molendinis nostris de Ponte Arche, medietatem in festivitate beati Johannis Baptiste, et aliam medietatem in Nativitate Domini, et tertiam partem avene in redditibus prepositure nostre Vallis Rodolii in festo sancti Michaelis annuatim percipienda. De his autem supradictis dicti abbas et conventus se tenent pro pagatis, secundum quod in ipsorum, quam nobis tradiderunt, plenius continetur carta, cuius tenor talis est : Omnibus hec visuris, frater R., abbas Boniportus, totusque ejusdem loci conventus, salutem in Domino. Noveritis quod nos, de communi assensu et voluntate, et assensu venerabilis patris nostri E., abbatis de Valle Beate Marie, tenemus nos pro pagatis de centum acris terre et de sex modiis et quinque sextariis et una mina bladi que habemus de mandato domini Ludovici, Dei gratia, Francorum regis, pro recompensatione dampnorum que sustinebamus occasione terrarum ad culturam traditarum in forestis de Borz et de Aquosis : scilicet pro dampnis de foresta de Aquosis, centum predictas acras terre, quas habemus de mandato ejusdem regis in foresta de Borz, sitas juxta terras quas habemus in dicta foresta de dono pie recordationis Ricardi quondam regis Anglie ; et pro remuneratione dampnorum de foresta de Borz, sex modios et quinque sextaria et unam minam bladi, cuius due partes sunt de ybernagio et tertia de avena, de mandato domini regis annuatim percipienda ; nec in dictis terris de cetero aliquid reclamabimus, exceptis pasturis animalium nostrorum quas habebimus in terris illis quando non fuerint seminate.

In cuius rei testimonium, venerabiles abbates de Valle Beate Marie et de Vallibus Sarnaii presentibus litteris cum nostro sigillo sua apposuerunt sigilla. Actum anno Domini M° CC° quadragesimo sexto, mense februarii.
Nos vero, ut hec nostra donacio et concessio religiosis dictis facta rata futuris temporibus habeatur, presentem paginam sigilli nostri munimine fecimus roborari. Actum apud Vicenas anno Domini M° CC° quadragesimo sexto, mense februario.